

67

EPITOME SECUNDI LIBRI

ANNALIVM C. CORNELII
TACITI.

VNONES Parthorum Rex, regno exutus ab Arta-
bano, & ad Armenios profugus ab his in regnum acci-
pitur. Id quod cùm Artabanus iniquo animo ferret, &
háec ob causam Armenijs minitaretur, in quibus aduer-
sus vim Parthorum parum subsidij erat; & causa esset
nulla, cur bellum aduersus Parthos eius causa suscipere-
tur, à Cretico Sullano rectore Suriæ custodia circumdatur. Cùm & has, a-
liaſq; ob causas, quas infra memorabo, Sisenna Statilio Tauto, L. Libone A. V. C.
Coss. res Orientis turbarentur, háec occasionem arriput Tiberius abstra-
hendi Germanicum ab suetis legionibus, nouisque prouincijs imponēdi,
dolo simul & casibus obiectandi. Ille verò hoc cognito, celerandæ aduer-
sus Germanos victoriae intentior, fabricat classem mille nauium ad vehé-
das legiones usque ad Amisiam flumen. Illis quippe in locis bellum erat
gerendum aduersus Cheruscos. Ibi Stertinius, missu Germanici, igne, &
cædibus Angriuariorum, qui defecerant, perfidiam vltus est. Carioualda
dux Batauorum pro Romanis aduersus Cheruscos pugnans, cum aliquot
nobilibus interficitur. Cæterum tam de Cheruscis, quām cæteris Germani-
nis magnam statim victoriam, commisso prælio, Germanicus reportauit,
eo ex prælio Arminius vulneratus, & Inguiomerus euaserunt, in loco præ-
lii Tiberius ab legionibus imperator salutatus est. Ea clades tanto dolore
& ira afficit Germanos, ut statim bellum restaurarint: quo rursus ipso-
rum ingenti clade, superati sunt. Post quæ continuò Angriuarii sup-
plies in deditioinem accipiuntur. His rebus ita gestis, Germanicus
cùm maiorem partem exercitus classi impositam reueheret, vi vento-
rum, & sauitia fluctuum pars nauium hausta, pars disiecta, & in solas
terras, aut in Britanniam delata est. Quæ damna statim pensata sunt
prospera expeditione in Marsos. Inde crebris Tiberii epistolis Germani-
cus Romam accitur. Ibi Libo Drusus Scribonius, fraude Firmii Catii se-
natoris, quasi res nouas moliretur, in senatu accusatus, voluntaria
morte iudicium sententias effugit. Facta de Mathematicis, Magis que
Italia pellendis senatus consulta; quorum è numero L. Pituarius faxo
deiectus est. P. item Martius supplicio est affectus. Aduersus luxum
ciuitatis decretum est, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent,
néue ferica vestis viros foedaret. Inter quæ Vrgulania, quam amici-
tia Augustæ supra leges extulerat ab L. Pisone in ius vocatur. Eo an-
no res dilatae; tentatumque est ut magistratus essent quinquennales.